

*[Faint, illegible handwritten text, possibly bleed-through from the reverse side of the page]*



2  
Q. D. B. V.  
DISSERTATIO

De

# CALENDIS JANUARIIS,

Quam

DEO FELICITER ANNUENTE

PRÆSIDE

*Viro Præclarissimo*

**DN. M. HEINRICO BAUMANNO**

Ampliff. Facultatis Philosoph. Adjuncto meri-  
tissimo,

*Dn. Præceptore ac Fautore suo omni observantia  
cultu prosequendo,*

Publico *συμφιλολογούντων* examini  
subjicit

**PAULUS MARTINUS SAGITTARIUS,**


Jenensis Thuringus,

AUTOR.

IN AUDITORIO MAJORI,

*Ad d. Januar. ANNO M. DC. LXVI.*

*Horis matutin.*



WITTEBERGÆ,

Literis MATTHÆI HENCKELII.

*all m*

CARL FRIDRICH

GAUDEMUS

DR. M. HEINRICH

PALLIUS





## IN NOMINE JESU!

### CAPUT I.

#### *Calendæ unde dicantur? Januarius unde? Numa*

*Pompilius Calendas Januarias anni principium constituit. Annus Romuli X. habuit menses. Scaliger notatus. Numa quare in Calendas Jan. anni initium collocaverit? Julius Cæsar annum suum à Calendis Jan. est auspicatus. Calendæ Jan. dies festus. Sacrificia eò die oblata Junoni, Jano. Laureæ nova in statua Jani. Dedicatio Templorum Æsculapii ac Jovis. Calendæ Jan. auspicales erant. Auspicabatur quisq; suas artes. Magistratus leviter quid delibabant. Verba bona Calend. Jan. nuncupata. Vota concipiebant pro sua salute. Pro Principe vota suscepta quò locò, & quo tempore? Verbis profanis, ac lite Cal. Jan. abstinebant. Calendæ Januaria à fœnerationibus ac nundinis exempta. Temperabant à luctu necessariò. In neminem animadversum Calendis Jan. Consules inibant Cal. Jan. Magistratum. Consules Ordinarii ac Suffecti. Calendis Jan. non semper inière Magistratum. Anni à COSS. numerabantur. Consules sacrificabant in Capitolio. Comitìa auspicabantur Cal. Jan. In Imperatoris acta juratum Cal. Jan. Aere obrutis, pauperibus ac captivis erant liberatrices Cal. Jan. Vestes preciosas Cal. Jan. induebant. Letitia Cal. Jan.*

#### §. I.

**N**ostræ de *Calendis Januariis* dissertationis telam orsuri à vocum originatione eandem meritò auspicamur. Quod primam itaque vocem concernit, de *Calendarum* Etymo non unam eandemque reperias sententiam. Sunt enim, qui Latio suos debere natales *Calendas* putant, easque volunt dictas quasi *calandas* à participio *calandus* verbi antiqui *calare*, quod idem est ac *vocare*. Unde *calator* ap. Plaut. in *Pseud.* IV. 2. *Calata* comitìa apud Gell. N. A. XV. 27. *Incalationes, incalativè* apud Festum. Atque pro hac ipsâ sententiâ militat Varronis autoritas l. V. de LL.

A 2

itemq;

itemque Macrobbi l.I. Sat. c. 15. Conf. Hospinian. de Orig. Fest. cap. IV. f. 50. b. Dilherr. in Appar. Philol. p. 104. Alii vocis hujus radicem in Græcorum hortulis primùm progerminâsse autumant derivantes *Calendas* à τῶ καλεῖν, quod significat *vocare*. Quam opinionem Auctorum ferè plurimi amplectuntur. Nec desunt, qui *Calendas* à nomine quodam proprio *Calendus* deducere volunt dicentes, tempore Antonini tres fuisse viros, Calendum, Nonum ac Idum, qui è domo suâ singuli P. Romanum nutriverint per eos dies, qui ipsis in Calendario ascribuntur, ut ex Tzeze Chil. 3. refert CL. Meurs. in Lexico Græco-Barbaro. Plutarchus denique vocem hanc à *clam* & *celare* descendere existimat in Qv. Rom. XXIII. talem Etymi sui rationem afferens, quòd *Luna Calendis adhuc lateat occulta*. Verùm in hõc sententiarum divortiõ si quid statuendum, facilè prima, quam recensuimus, sententia nostrum obtineret calculum. Alteri enim ut accedamus nulla nos cogit necessitas, cum opus haud sit in investigandõ Calendarum Etymo ad Græcam Linguam recurrere, si commodiorem & magis convenientem derivationem in Latinâ inveniamus. Quod si enim immediatam Etymologiam (de quâ nos loquimur) respicimus, *Calendas* rectius ac commodius ab antiquo verbo *calare*, quàm à τῶ καλεῖν ortum trahere ac denominationem deprehendemus. Inficias equidem non imus, priscum *calare* à Græco καλεῖν descendere, & Macrobb. l. I. Sat. c. 15. id ipsum testatur; Exinde tamen haudquaquam sequitur, *Calendas* immediatè è Græco esse deducendas. Ut taceam alia, quæ pro sententiâ nostrâ in medium possent proferri: nimirum, quod Græci nullas omninò habuerint *Calendas*, quod item *Calendæ Latinorum fuerint propriae*, unde & Ovid. l. I. Fast. eas vocavit *Ausonias*. Tertiam opinionem recensuisse satis est refutasse. Plutarchi tandem quod spectat Etymologiam, ridicula ea certè est ac frigida; nulla siquidem inter *Calendas* & *clam* ac *celare* est Analogia. Vid. Xylandr. in not. ad Plutarchi l. c. f. 12.

§. II. Ad alteram nunc accedimus vocem, de cujus originatione inter omnes, quantum scimus, ferè convenit. *Januarius* enim à *Jano*, primò Latinorum Rege, itemq; Deo nomen habere dicitur, quòd anni cura ei demandata, & *temporis auctor*, ut salutatur eum M. Aurel. Olymp. Nemesianus in Cynegeticò v. 104. imò & *immense reparator maximus ævi* priscis fuerit habitus. Unde est, quod Jano biceps

ceps tribuatur imago, ut qui respiceret transacti anni finem, ac prospiceret futuri principia. Herodian. l. I. cap. 16. Macrobi. l. I. Sat. c. 13. Ob eandem etiam rationem clavem in dextra manu tenens pingitur, quod aperiat annum eumque claudat. Georg. Codinus in Constantinop. *Ἐπι ἀγάλματι τοῦ Ἰανουαρίου* p. 43. Verder. de Imag. Deorum p. 30. Sic & digitis ita figuratis à Numa habetur pictus Janus, ut in dextra manu trecentorum, in sinistra verò quinquaginta quinque (non sexaginta quinque, ut quibusdam deceptis aliorum autoritate placet, qui fundamentum numeri illius ipsum dierum anni numerum æquantis neglexere, vid. Georg. Codin. in Constantinopol. l. c. Macrobi. l. I. Sat. c. 9. Verder. de Imag. Deorum p. 30.) numerum tenuerit, prout tradit Plinius l. XXXIV. Nat. Hist. c. 7. A *Januâ* etiam *Januarium* quidam volunt dictum, quod per eum in anni penetralia, ut per januam in domum, ingrediamur.

§. III. Evolutâ Etymologiâ ad rem ipsam nos accingimus, & de autore, quisnam scilicet *Calendas Januarias* anni fecerit principium, paululum dispiciemus. *Numam* verò Pompilium Romuli in regnò successorem *Calendas Januarias anni initium constituisse*, communis doctorum fert opinio. Romulus enim annum suum 304. dierum & quidem decem mensium spatio descripsit, inque mensem Martium anni primordium collocavit. Quia autem hæc anni Romuli forma neque Solis cursui neque Lunæ rationibus conveniebat, annique tempestates prorsus confundebat, adeoq; *nonnunquam usu veniebat, ut frigus æstivis anni mensibus, & calor contra hyemalibus proveniret, ideo tantum dierum sine ullo mensis nomine patiebantur assumi, quantum ad id anni tempus adduceret, quò cæli habitus instanti mense aptus inveniretur*, ut loquitur Macrobi. l. I. Sat. cap. XII. Numa Pompilius vitiû istud animadvertens annû ad Lunæ cursum redegit & quinquaginta dies adjecit diebus 304. Romuli, ac paulò post Græcorum more in honorem numeri imparis unum addidit diem, ut ita in 355. dies annus extenderetur, eosque dies in duos menses divisit Januarium ac Februarium: cumque Romulus anni initium à vere esset auspiciatus, ipse à brumâ illius fecit primordia. Conf. Macrobi. l. I. Sat. c. 13. Censorin. de die Natali c. 20. Solin. l. 3. Corn. Vitell. in Merulam T. I. Fac. Crit. Grut. p. 640. Manut. in Quæf. per Epist. l. I. n. 3. Calvisii sag. Chronol. c. X. f. 67. Excell. Dn. D. Ægid. Strauchius Historiar.



riar. P.P. celeberrimus, Patronus ac Præceptor meus omni observan-  
tiæ cultu suspiciendus in diff. de Anno th. XI. §. 1, in Breviar. Chronol.  
c. XI. qu. 3. p. 346. Sunt tamen, qui hisce, quæ posuimus, contradi-  
cunt. Annum enim Romuli duodecim habuisse menses ad Lunæ  
cursum directos contendunt Licinius Macer, Fenestella, Plutarchus  
in Numâ aliique. Hujus sententiæ patrociniū in se suscepit Jos.  
Scaliger l. 2. de Emendat. Temp. fol. 165. sequ. eamque probat argu-  
mentō à Calendarum, Nonarum ac Iduum denominatione desum-  
to. Sed meritō dubitamus, an autoritas Licinii Macri, Fenestellæ  
itemque Plutarchi tot gravissimis Autoribus, qui de decimestri Ro-  
muli anno literis quid prodidere, commodè opponatur. Scaligeri  
rationem à denominatione Calendarum, Nonarum ac Iduum peti-  
tam quod concernit, in dubiō adhuc est, an Romuli tempore Calen-  
darum, Nonarum ac Iduum nomina in usu fuerint, quin ea potius  
Numæ debere originem est verisimile. Accedit & quod mensis lu-  
naris 31. diebus nō constet. Plura, quæ Scaligero possent reponi, vide-  
antur ap. Excell. Dn. D. Strauchium in dissert. de Computo Vet. Rom.  
§. 9. Si Dn. Langii conciliationi utriusque sententiæ locus relinque-  
retur, quam c. XV. l. 1. de Annis Christi proponit, duorum populo-  
rum, ex quibus urbs Roma conflata est, diversa digerendi tempora  
instituta discernens, annum A. V. C. statim 12. mensium Albani ha-  
buissent, quam anni formam Romulus postea abrogasset.

§. IV. Cum præcedente §. actum fuerit *Numam in Calen-  
das Januarias* anni principium posuisse, flagitat nunc ordo, ut qui-  
bus rationibus adductus Numa novi anni initium eas constituerit,  
videamus. Variantes autem circa hoc ipsum licet deprehendere  
sententias. Etenim quidam hanc ob causam *Calendas Januarias*  
*anni primordium fuisse constitutas* censent, quia *Regibus exactis primi*  
*Consules Calendis Januariis sint creati*, ut refert Plutarch. Qv. Rom.  
XVIII. Verum quisque primo statim intuitu videt, rationem hanc  
nequaquam firmo posse stare talo, ingens siquidem *ἀνισορροσία* vi-  
tium committit. Numa enim, qui *Calendas Januarias* anni princi-  
pium ordinavit, regnare cœpit A. V. C. XXXIX. Reges verò exacti le-  
guntur A. V. C. CCXLIV. Alii *naturali ratione motum Numam Ca-  
lendas Januarias anni exordium fecisse dicunt*. Considera, inquit  
Plutarch, l. c. *annon potius Numa sumserit anni principium nostra natu-*



ra magis accommodatum. In universum enim in his, quæ circulo circumaguntur, naturâ nihil est primum ac ultimum, sed arbitrio hominum alius aliud temporis statuit initium. Optimè verò, qui post Solstitium hybernum anni exordium faciunt, quando Sol progrediendi sine facto convertitur, & ad nos cursum reflectit, tum enim in ipsâ quoque naturâ conversio quædam fit, quæ luminis tempus auget, & tenebrarum minuit, nobisq; propius admovet principem atq; dominum universæ fluxæ naturæ. Sed quod neq; hæc sententia possit consistere constare videtur ex eò, quod Numa Februarium ultimum constituerit mensem scilicet ob parem dierum numerum inferis sacrum, ut testatur Macrobius l. I. Sat. c. 13. aliique; Solstitium autem hybernum tum quoque incidit in Decembrem, adeoque integer mensis inter Solstitium & anni principium intercessisset. Vide sis Hospinian. c. III. de Orig. Festor. f. 41. 6. Quidam denique Numam principem Januarii locum assignasse ipsiq; Martium postposuisse existimant, (non Februarium, quem Decemviri postea ex ultimò loco in secundum retraxerunt teste Ovid. l. 2. Fast.) eò quod pacis studiosus fuerit civisq; à bellis ad agriculturam avocare cupiens Jano hunc honorem detulerit, ut pote qui civilis vitæ terræq; colendæ quàm belli fuisset studiosior, vitamq; feram mutasset, ut loquitur Plutarch. Quæ Rom. XVIII. it. in Numa. Atq;ve hanc ultimam opinionem facimus nostram. Conf. Hospinian. l. c.

§. V. Attingendum & paucis, quòd C. Julius Cæsar in emendatione anni Romuli atque Numæ à Pontificibus intercalatione vitiosâ corrupti in Calendas Januarias anni principium collocaverit, eò quod in eas solstitium hybernum semper incideret. Veteres enim sibi persuaserant à solstitiò brumali novum annum commodissimè inchoari. Unde & est, quod Bruma pro novo accipitur anno, ut observat Illustris Scaliger l. V. de Emend. Temp. fol. 412. Hujus rei rationem ex Jano quærit Ovidius, à quò sequens accepit responsum l. III. Fast.

Bruma novi prima est, veterisq;ve novissima Solis,

Principium capiunt Phœbus & annus idem.

Verùm quàm vana Cæsaris ac Sosigenis Mathematici Alexandrini fuerit persuasio, Calendis scilicet Januariis solstitium brumale omnibus seculis futurum, quisque videt. Falsò enim supponebatur

tur

tur annum Solarem esse præcisè 365. dierum & horarum VI. Quò vitiò ex intercalatiõe justâ majori contractò non potuere Æquinoctia ac Solstitia stata sua tempora in Calendariò Julianò retinere. Ille idem error Patribus Concilii Niceni quoqve imposuit. Conf. Excell. Dn. D. Strauch. in diss. de Computo Gregoriano Th. I. it. de Anno Th. XI. §. I.

§. VI. Hisce prælibatis ad alia facimus transitum brevibus consideraturi, quæ Solennia Calendis Januariis fuerint peracta. *Calendas autem Januarias diem fuisse apud Romanos sacrum ac festum*, ex innumeris Autorum locis constat. Nominasse hîc solùm sufficiat Svetonium in Tib. 34. itemqve Herodianum l. I. c. 16. qui *festum Calendas Januarias diem* vocant. Tacit. IV. Annal. 70. I. *anni incipientis solennia* salutatur. *Calendarum autem Januariatum festivitas ac solennitas* maximè apparet ex *sacrificiis eò die oblati*, quibus Calendas Januarias auspicari solebant. Huc respexit Tertull. l. II. ad Uxorem: *Moratur Dei ancilla cum laboribus alienis, & inter illos omnibus nominibus demonum, omnibus solennibus Regum, incipiente anno, incipiente mense nidore thuris agitabitur.* A summò autem mane inceperunt sacrificia, eaqve ad vesperam usqve continuarunt, ut liquet ex responso M. Aurelii Imperatoris Fulvio dato, quod habetur apud Gvevaram in Horol. Princ. l. I. c. 39. fol. 147. Hinc est, quod Ovid. l. I. Fast. cives suos convocat, ac hortatur, ut primâ ortâ luce adsint sacrificiis. Pervigilium quoqve (sacrificium, quod jugi vigilia per totam noctem celebrabatur sicut Pervigilia Cereris) in templis esse indictum autor est modò laudatus Gvevara Horol. Princ. l. I. c. 38. f. 143. Videamus, quibus sacrificiis *Calendas Januarias* celebrarint. Primò verò locò sese offerunt *Sacra Junoni* habita. Huic enim *Calendæ Januariae*, sicut & *omnes Calendæ Sacrae* erant atqve dicatae, unde & dicta legitur *Calendaris* ap. Macrobi. l. I. Sat. c. 15. Supplicabant autem illi omnes, Pontifex minor in Curiâ Calabrâ rem sacram faciebat, & regina sacrorum porcum vel agnum maçtabat. Succedit nunc *JANI* Festum, quod *Calendis Januariis* fuisse celebratum tradunt Rosin. l. IV. A. R. c. 4. p. 341. Saub. de Sacrif. c. IV. p. 78. *Litabant autem Jano mola*, quæ farina horna saleqve miscebatur, ac *libo*, quod Festò autore dicebatur *Janual*, itemqve *thure ac merò*, partim quod pri-

primus omnium Deorum crederetur, partim, quod primores anni Calendas videretur aperire. Huc alludit Prud. l. I. contra Symm.

— Jano etiam celebri de mense litatur

*Auspiciis epulisque Sacris.*

Et Ovid. l. I. Fast.

Jane tibi primum *thura merumque* fero.

Conf. Hospinian. c. VIII. de Fest. f. 55. b. Rosin. l. IV. A. R. c. 5. p. 347.

Non omittendum vero, *novam lauream* pro veteri *statue Jani singulis Calendis Januariis* fuisse impositam, ut notat Dempster. Paral. ad l. II. Ros. A. R. c. 3. pag. 128. Licet antea Calendis Martiis id factum testetur Macrobius. l. I. Sat. c. 12. Solin. l. 3. mutare veteribus virides laureas dixit. Ad hunc quoque morem respexit Sidon. Apollin. carm. 2.

— Tuque, o cui *laurea* Jane

*Annua* debetur.

Et Aufon, in Cæsar.

Ter dominante Tito *cingit nova laurea Janum.*

Jani Festum excipit *dedicatio Templorum Jovis ac Aesculapii in Insula Tyberina.* Innuit hoc Ovid. l. I. Fast. quando canit:

Quod tamen ex ipsis licuit mihi discere fastis,

Sacravere Patres hæc duo Tempia die.

Ex hac autem consecratione multum celebritatis Calendis Januariis accessisse ex eò liquet, quod Romanis nihil fuerit tam solemne, quam dies consecrationis sive dedicationis, ut observat Servius citante Rosino l. IV. A. R. c. 5. p. 348. Nihil nunc addam de Sacrificiis, quæ Jovi Capitolino à Coss. & magistratum ineuntibus Calendis Januariis offerebantur, sed peculiari thesi eadem reservabo.

§. VII. *Auspicalem* verò *Calendas Januarias* fuisse diem ex eò vel maximè patet, quod augures eò die aves earumque volatus observarent, exindeque futurum annum felicem vel infaustum fore auspicarentur. Romanorum enim erat superstitio, ut nihil vel publicè vel privatim inauspicato agerent. Indicat hoc Maximus in Serm. cui tit. Increpatio de Calendis Januariis, f. 199. a. edit. Lugdun. Sic autem inquit: *Auspicia vanissimi colligere se dicunt, ac statum vite sue in anibus indiciis æstimantes per incerta avium ferarumque signa imminentis anni futura rimantur.* Consimile quid habet Ovid. I. Fast.

B

Ad-

Ad primam vocem timidus advertitis aures,

Et primam visam consulit augur avem.

*Auspicales* etiam *Calendas Januarias* extitisse hinc colligere licet, quod *omnium superstitionum auspicia* apud Romanos iisdem fuerint facta. Omnis enim renovabatur religio, diversi diversorum Idolorum cultus & simulacrorum religiones de integrò velut sumebant exordium, producebantur Numina ipsa, quæ stolidi putabant, & absterso pedore anni elapsi cum novo in novum veluti florem reducebantur, velut annotat magni nominis Criticus Casp. Barthius in incomparabili, ut ipse vocat, Adversariorum Opere l. LIII. c. 12. f. 2503. Digitum hinc intendit Petrus Chrysologus Serm. de Cal. Jan. 155. f. 381. edit. Lugdun. *Hinc est fratres, hinc est, quòd hodie gentiles Deos suos fœditatibus exquisitis excogitato dedecore & ipsa turpitudine turpiores Deos suos videndos trahunt, distrahunt pertrahunt.* Sic & maximè *auspicales* erant *Calende Januariae*, quod *auspicandi causâ* suas quisque artes attingebat, modicè tamen ac leviter, ne quietem & lætitiâ publicam turbare viderentur, ut observant Muret. l. XVIII. Var. Lect. c. 13. Lips. ad Tac. IV. Ann. c. 36. p. 206. Rosin. l. IV. A. R. c. 5. p. 347. Existimabant scilicet omnia principiis in esse solere. Unde quod eò die agebant, totò se facturos anno plerique vaticinabantur. Ad hunc morem respexit Ovid. l. i. Fast.

Tempora commisi nascentia rebus agendis,

Totus ab auspicio ne foret annus iners.

Quisque suas artes ob idem delibat agendo,

Nec plus quàm solitum testificatur opus.

Addendus & Seneca Epist. 84. *Ille tantus Psychrolutes, qui Calendis Januariis in Euripum saltabam, qui anno novo quemadmodum legere, scribere, dicere aliquid, sic auspicabar in virginem desilire.* De Rusticis, quod omne genus operis *Calendis Januariis instauraverint* testatur Columella l. XI. de Re Rusticâ c. 2. Nec privati solùm, sed & Magistratus munus capeffentes *Calendis Januariis leviter quid auspicii causâ delibabant.* Hinc *auspicalis* appellatur dies à Mamertino in Paneg. Maximiano dicto: *Illum tamen, inquit, primum Consulatus tui auspicalis diem letus nullò modo præterire possum, quò tu solus omnium consecutus es, ut, quod tempus antea incipiendis tantummodo rebus aptum esse videbatur, tunc primum potuerit sufficere peragendis, unoque sol curriculo*

lò & officia te *Consulis inchoantem videret*, & *Imperatoris implentem*.  
 Symmachus l. i. Epist. 51. dixit *auspiciis interesse; fortunati*, inquit, *la-*  
*to agmine sellam tuam prosequantur*, & *auspiciis tuis quivis fati integer*  
*amicus intersit*. Sic de Augusto scribit Sueton. in ejus vitâ c. 26. quòd  
 Calendarum Januariarum die mane pro æde Jovis Capitolini pau-  
 lulum curuli sellâ præfederit, scilicet ut Magistratum auspicaretur,  
 non vero ut acciperet strenas, sicut locum hunc explicat Torrentius  
 in not. ad l. c. Conf. Casaub. in observat. ad Svet. August. 26. f. 65. b.  
 Confirmat idem Tacitus IV. Ann. 36. i. *Præfectus urbis Drusus auspi-*  
*candi causâ tribunal ingressus*. Et Sueton. in Nerone c. 46. *Calendis*  
*Januariis auspicanti Sporus annulum muneri obtulit*. Incipiebant au-  
 tem leves quasdam ac tralaticias causas dicis gratiâ. Unde objur-  
 gatus legitur à Nerone Præfectus urbis sacro Latinarum apud Tac.  
 IV. Ann. 36. ac Sueton. qui auspicatus est jurisdictionem celeberrim-  
 is Patronis non translaticias, ut assolet & breves, sed maximas  
 plurimasque postulationes certatim ingerentibus. Confer. Lips. ad  
 l. c. Taciti p. 206. id. c. IX. de Magistr. Rom.

§. VIII. *Solennes autem erant Calende Januaria verbis bonis*  
*lætisque nuncupandis*. Iis enim totum annum faustum ominaban-  
 tur, & felicissima quæque precabantur. Affirmat id Plin. l. XXVIII.  
 N. H. c. 2. *Primum*, inquit, *anni incipientis diem lætis precationibus*  
*invicem faustum ominamur*. Ovid. l. Fast. verba Calendis Januariis  
 nuncupari solita *læta* vocat:

At cur *læta* tuis dicuntur *verba* Calendis,  
 Et damus alternas, accipimusque preces.  
 Idem *prospera* appellat *verba* l. IV. de Ponto El. 4.  
 Hos ubi facundò tua vox hilaraverit ore,  
 Utque solet, tulerit *prospera* verba dies.  
 Sic & *bona* nominat *Verba* l. Fast.

*Prospera* lux oritur, linguis animisque favete,  
 Nunc dicendabono sunt *bona verba* die.  
 Testatur idem Lucian. in librò, qui inscribitur, *ψευδολογίας*: ἢ  
 μὲν ἢ τῶ ἔτους ἀρχῇ, μᾶλλον δὲ ἢ ἀπὸ τῆς μεγάλης νεμηνίας τρίτη, ἐκ  
 ἢ οἱ Ῥωμαῖοι κατὰ τὸ ἀρχαῖον εὐχονταί τε αὐτοῖς ὑπερ ἅπαντος τῶ ἔτους  
 εὐχαῖς ἰναῖς. Nec dissentit Herodian. l. i. c. 16. τὰ ὑ τῆς δὲ τῆς ἐορτῆς  
 πρὸς οὐδὲ

περὶ Ἰσθμῶν ἐν ἡ μάλιτι Ρωμαῖοι δεξιῶν τὰ ἀλλήλων καὶ προσαγορεύ-  
σι. Plerumque autem à pauperibus & infimæ sortis hominibus hoc  
fuisse factum constat ex Asterio in Homil. contra Festum Calenda-  
rum f. 832. b. edit. Lugdun. *Viles, dicit, ex plebe homines, agyrta & sce-  
nici, prestigiatores in turmas discreti nulli non domui clamoribus ac  
plausibus velut fausta precantes molestiam exhibent.* Senes enim ac  
juvenes promiscui sexus noctu discurrebant & annum faustum fe-  
licemque præforibus divitum precabantur. Inde & est, quod in  
totâ Graciâ ac omnibus fere Italiæ urbibus diluculo Calendis Ja-  
nuariis pueri ad nobilium ædes accedentes quibusdam rythmis  
eos salutabant, & felicem annum iis vovebant, ut ex Paulô Marso  
observat Hospinian. de Fest. c. VIII. f. 55. b. Qui mos deinde ad  
Germanos fluxit, nec adhuc hodie obsolevit; Calendis enim Ja-  
nuariis inferiores superioribus, & hi illis fortunatum annum &  
optima quæque precantur. Huc referendum, quòd *Vota Calendis  
Januariis pro suâ quisque salute conceperit idque in Capitolio inter ipsa  
Sacrificia, ut majorem præ se ferrent pietatem.* Confirmat Ovid. i.  
Fast.

Templa patent, auresque Deum, nec lingua caducas  
Concipit ulla preces, dictaque pondus habent.  
Ascribebant scilicet hoc die votis vim singularem; persuasi enim e-  
rant eâ potissimum die Deos precibus ac votis vacare ac animum ad-  
vertere. Docet id Lucian. in Pseudolog. T. 3. *Romani juxta veterum  
consuetudinem & ipsi preces quasdam pro totò annò faciunt ac sacrificia  
per agunt pro eò, ac ipsis Rex Numa Sacrificandi hos ritus constituit, per-  
suasig; sunt, quodeò potissimum die votis ac precibus vacent.* Vid Lips.  
ad Tac. Ann. IV. 70. 1. p. 225. Beroald. in Suet. Tib. 34. f. 418. Ipsi etiam  
Consules pro æternitate Imperii civiumq; salute Calendis Januariis  
vota in Capitolio concipiebant. Trajanus Consul creatus in fine  
votorum adjecit, ut *ita precibus ejus dii annuerent, si judicium Senatus  
mereri perseverasset, item, ut eum dii servarent, si benè Rempublicam &  
ex utilitate communi rexisset, ut legitur ap. Plinium in Paneg. Traja-  
no habito c. 72. Pro Principe quoque in Capitolio suscepta fuisse vota  
ipsis Calendis Januariis tradunt Brisson. l. i. Form. p. 100. Beroald. ad  
Suet. Tib. c. 54. f. 418. Innuit hoc Lamprid. de Heliogab. *In Capitolium  
ad vota concipienda & perficienda ire nqluit.* De Nerone scribit Svet.  
c. 46.*

c. 46. *Cum Nero vellet ire in Capitolium ad vota nuncupanda habuit hoc dirum praesagium, quod claves vix repertae sunt, tanquam Dii recusarent votorum nuncupationem fieri à Nerone, ut qui ea non esset soluturus.* Videtur autem hoc inter officia populi ac sacerdotum fuisse, ut Magnif. Dn. D. Zieglerus ad L. un. C. de oblat. vot. L. XII. animadvertit. Hinc Thraseæ objectum, quod nuncupationi votorum non adfuerit apud Tac. Ann. XVI. 22. 1. Nonnulli etiam solâ servitii libidine adducti pro Principe vota concipiebant. Sic C. Caligula votum exegit ab eò, qui pro salute suâ gladiatoriam operam promiserat, spectaretque dimicantem, nec dimisit nisi victorem & post multas preces. Alterum, qui se periturum eâ de causâ voverat, cunctantem pueris tradidit verberatum, ut refert Svet. in Calig. c. 27. Vota autem tabulis concipiebantur ac signabantur pro solò Principe. Unde cum vota susciperentur pro Nerone ac Druso indoluit Tiberius, perinde ac si specimen id foret maximum illos Romanis esse chariores. Diximus supra in Capitolio vota fuisse concepta, verùm non in Capitolio solùm, sed & in Curiâ ac Castris vota fuisse nuncupata. De Curiâ scribit Dio l. 59. De Castris autem Tertullian. l. 2. de Coron. *Ecce annua* votorum nuncupatio quid videtur? prima in principiis (quod erat locus in castris. vid. Marcel. Donat. ad Suet. Othon. c. VI. f. 755. seqv.) Secunda in Capitolio. In animo nunc est aliquot votorum formulas recensere. Vovebant scilicet, *ut omnia, quae facit facietve Princeps, prospere succedant Principi, Reipublicae ac populo, vel si brevius sit optandum, uni Principi, in quo Respublica & populus est.* Plin. in Paneg. Trajano dicto c. 72. Idem in Ep. 44. l. X. quando solennia à militibus ac provincialibus suscepta vota memorat, *Solennia, inquit, vota pro in columitate tuâ, quâ publica salus continetur, & suscipimus pariter & solvimus, precati Deos, ut velint ea semper suscipi.* Iphis Calendis Januariis vota pro Principe fuisse concepta supra posuimus ex mente Briffonii aliorumque; illi tamen sententiæ quo minus ut calculum nostrum addamus obstat, quod *tertiò Nonarum die vota pro Principe fuisse suscepta plurimi autorum tradant, quos citat Lipsius ad Tac. Ann. XVI. 22. 1. p. 440. qui omnino evolvi meretur.* Malumus igitur cum Magnif. Dn. D. Zieglero l. c. asserere *circa Calendas Januarias* vota fuisse nuncupata. Calendis enim fieri id etiam dicitur, quod non multo post cõtingit. Tolerari tamẽ posset ista sentetia, si triduo durasse

rasse celebritatem illam, tertium tamen Nonarum diem præcipuum inter hos statuamus. Conferis Lips. ad Tac. l. c. qui primus pugnantis sententias conciliavit. Vid. & Lev. Torrent. ad Suet. Ner. c. 46. f. 1526.

§. IX. Sicut Romani læta tantùm ac bona verba, ut thesi præcedente dictum, Calendis Januariis proferebant, ita & iisdem *verbis profanis abstinebant*. Indicat hoc Sabinus apud Tac. Ann. IV. 70. i. quem, inquit, *diem vacuum pœnâ, ubi inter Sacra ac vota, quò tempore etiam verbis profanis abstinere mos esset, vincla ac laqueus inducantur?* Quod si igitur sinistro omine quid auditum, infelicem statim annum portendebant. Unde cum Mævius quidam post absorptum matrimonium altâ optaret voce Calendis Januariis, ut quinquaginta millia nummum æris haberet alieni, mirabantur, qui audiunt, adstantes, quærebat ex his quidam, quid hoc sibi vellet, quòd tam solenni die incommodum sibi optaret, respondit, non est, quod mireris, octingenta n. millia debeo, ut ex Porphyrio refert Hospinian. de Orig. Fest. Rom. c. VIII. Verùm non verbis solùm profanis Romani abstinebant, sed & *lite ac jurgiis*. Quo sensu Ovid. I. Fast. canit.

*Lite vacent aures, in fanaque protinus absint*

*Jurgia.*

Quod quidem ad contentiones civiles, amicorum jurgia ac maledicentiam invidorum videtur esse referendum; alioqui enim hoc die non vacabant certamine, sed artis, quam quisq; calleret, demonstratione disceptabant.

§. X. Sedulò autem prospiciebant Romani, *nequid tristè publicè privatimque Calendis Januariis* patrarent. Sic *Calendas nostras Januarias à scænationibus* fuisse exemptas, licet omnibus aliàs Calendis solennes, arbitramur. Dictæ enim sunt *tristes* ab Horat. l. I. Sat. 3. 87. Parili etiam modo, quando *Nundinæ* in *Calendas Januarias* incidebant, intercalatione eas declinabant Pontifices Macrobi. l. I. Sat. c. 13. Nundinarû enim dies parum utilis rebus inchoandis habitus. Persuasionis causa forsitan similitudo fuit nominum in diebus novendialibus (qui mortuis sacri erant, ideoque atri) & nundinalibus, ut explicat Casaub. ad Suet. Aug. c. 92. f. 116. Macrobi. I. Sat. c. 13. ita loquitur de Nundinis: *Perniciosum Reipublice fuit, si Nundina*



dina caderent in Calendas Januarias, quoties incipiente anno dies coepit, qui additus est Nundinis, omnis ille annus infaustis casibus luctuosus fuit, maximeq; Lepidiano tumultu opinio ista firmata. Collactea huic scribit Dio l. XL. *Annus ille, quò Clodius à Milone interfectus, eo nomine infaustus dicitur fuisse, quod Nundinae Calendis Januariis fuerint celebratae.* Et l. 48. in Consulatu Pollionis ac Calvinii simile quid accidisse refert. *Temperabant etiam à luctu necessariò.* Nihil enim credebatur magis adversari ceremoniis ac sacris quàm luctus. Ex quò est, quòd Commodus postquam circa Calendas Januarias mortuus esset, ab Adrianò votorum causà lugeri vetitus est. Ael. Spartian. in Adriano. Sic & Marcus cum ei filius esset mortuus, quia ludi Jovis erant, interpellari eos noluit luctu. Confer Magnif. Dn. D. Ziegler ad l. un. C. de vot. oblat. l. XII.

§. XI. *Calendas etiam Januarias Supplicio nefas fuit funestare.* Hinc à Tacit. IV. Ann. 70. 4. vocantur *dies vacuus pœnâ.* Et c. LXVIII. i. *foedum anni principium* appellat, quia T. Sabinus in carcerem trahebatur. Nec mirum etiam, si diem illum Romani à pœnâ non habuerint exemptum, utpote qui omnes dies festos, ut Lips. ad Tac. l. c. p. 226. annotat. Conf. Casaubon. ad Suet. Aug. c. 57. f. 92. ad Tib. c. 61. f. 149. Hinc Marius valdè taxatus à Floro atque Plutarchò legitur. Ab illo quidem l. III. c. 21. postquam enim recensisset multorum Senatorum cædem, tandem claudit: *hec tot Senatus funera intra Calendas ac Idus Januarii mensis septima illa Marii purpura dedit.* A Plutarchò verò in ejus vitâ: καὶ προσελθὼν ὁ Μάριος αὐταῖς Καλάνθαις Ιανουαρίαις ἔτερος ἀρχῆ Σέξτον Ἰννα Λικίνιον κατεκρήμνησεν, ὁ καὶ κείνος καὶ τῆ πόλει τῶν αὐθις ἐδόκει κακῶν γεγονέναι σημεῖον μέγιστον, i. e. *progressusq; Calendis ipsis Januariis Marius initio anni Sextum quendam Licinium de saxò dejecit, quod & illis & urbi impendentium malorum maximum visum presagium.* Simile quid Marii facto commisit Tiberius Imperator, dum Calendis Januariis in quosdam animadvertit. Unde & reprehensus habetur apud Tac. IV. Ann. 70. & Sueton. in ejus vitâ c. 61. Atro etiam notatur calculò Claudius Imperator, quòd Syllanum abdicare se præturâ ante quartum Calendas Januarias morique anni initio coëgerit. Suet. in Claud. c. 29. Ob eandem etiam rationem Romani *Calendis Januariis in bellò ab armis abstinebant,* quod docet Appian. l. V. Civil.

νημηνίας δὲ ἔτης ἐς τὴν ἐπιῶσαν ἡμέραν ἕως Φυλάξας ὁ Λικίνιος τὴν  
ἐορτὴν, ὡς ἀμελείας τῶν πολεμίων αἰτίᾳ, ἐξεθόρε νυκτὸς ἐπὶ τὰς πύ-  
λας αὐτῶν. Atque ob hanc religionem, quā *Calendas Januarias*  
supplicio funestare verebatur, à *cæde Christianorum abstinebant*, cum  
in nascentis Ecclesiæ primordiō omnibus diebus sine discrimine  
gentiles persequerentur Christianos. Locuples hujus rei testis est  
Hieronymus, qui nullum præter *Calendas Januarias* totō anno  
fuisse diem, quō non affecti supplicio 500. Martyres numerentur,  
trahit.

§. XII. Abhorruisse Romanos *Calendis Januariis* à suppli-  
cio exequendō vidimus, sequitur nunc, ut *Solennes extitisse Calen-  
das Januarias Consularibus honoribus ineundis* dispiciamus. Iis liqui-  
dem Consules ac reliqui publicum officium capeffentes inibant  
Magistratum. Atque hinc ortum traxit distinctio inter *Consules Or-  
dinarios & Suffectos*. *Ordinari* enim *Consules* illi dicebantur, qui *Ca-  
lendis Januariis* publicæ salutis gubernaculis ad movebantur. Lev.  
Torrent. in Suet. Domitian: c. XI. f. 1579. Turneb. l. V. Adv. c. 10. p. 89.  
Lips. c. IX. de Magistr. Rom. *Suffecti* verò ii erant, qui demum post  
*Calendas Januarias* in Senatum introducebantur. Quosensu illud  
Senecæ lib. 3. de Irâ cap. 31. accipiendum, quando in hæc desinit  
verba: *dedit duodecim fasces, sed non fecit ordinarium Consulem*.  
Notandum autem nonsemper fuisse observatum, ut *Calendis Ja-  
nuariis* Consules ac reliqui iniverint Magistratum, sed vagum fuis-  
se diem & diversa principia, idq; vel ex potentiorum vel populi vo-  
lūtate atq; arbitriō. Annotare placet mutationes. Primi Cōsules Re-  
gibus exactis iniverunt Magistr. 23. Feb. *Calēdis Sextilibus* Consules  
ac reliqui L. Aebutio ac P. Servilio Coss. capeffebant Magistratū, ut  
Liv. l. 3. refert. Tempore autem Decem virorum non *Calendæ Sex-  
tiles*, sed *Idus Majæ* Solennes erant ineundis Magistratibus, ut  
idem tradit l. c. Tandem Tribuni Consulari potestate creati *Idibus*  
*Decembribus* iniere Magistratum, ut Liv. l. 4. scribit. Post annos 8.  
inierunt *Calendis Quintilibus* Coss. L. Aemilius Mamercinus &  
C. Plautius, quod mansit usque ad Consules M. Claudium Marcel-  
lum, & Cn. Cornelium Scipionem & usque ad Bellum Punicum  
secundum, quō tempore *Idibus Martiis* cæptum honores adire pu-  
blicos. Ab *Idibus* denique *Martiis* translata hæc est solennitas ad-  
Calen-

*Calendas Januarias propter Bellum Celtibericum Fulviô Nobiliore &*  
T. Annio Lusco Coss. A. V. C. 598. ut Lips. c. 9. de Magistr. Rom. ex Liv. l.  
47. ostendit. Confer Calvisii Sagog. Chronol. cap. X. fol. 71. Beroald. in  
Svet. Aug. c. XXVI. fol. 191. a. Marcell. Donat. in Flav. Vopisc. Tacit. p.  
1052. Lips. c. 9. de Magistrat. Rom. Magnif. Dn. D. Zieglerus ad L. un. C.  
de vot. oblat. L. XII. Alex. ab Alex. l. 3. dier. Genial. c. 24. p. 169. qui Au-  
gusto translationem hanc in Calendas Januarias, sed minus accuratè,  
adscribit. Atque ab istâ consuetudine Consules dicuntur *annum a-*  
*perire* ap. Plin. in Paneg. Trajani cap. 58. Stat. l. IV. Sylv. carm.  
I. vers. 2.

— insignemque aperit Germanicus annum.

Vocantur item *Fastos referare* ap. Plin. l. c. *Anni enim à Consulibus Ro-*  
*mæ* numerabantur ac denominabantur, sicut ab Eponymis apud  
Græcos, cum antea *clavis*, qui dicebantur *Annales*, in parietibus ædi-  
um sacrarum fixis numerati anni legantur ap. Festum l. 3. Affirmat  
id Salian. l. VI. de Gubernat. DEI; *cum hæc omnia*, inquit, *agant, qui*  
*annis nomen tribuunt, à quibus anni ipsi exordium sumunt.* Lucan. *Anni*  
*à Consule nomen habentes.* Sic & Pacatus in Paneg. *Consul creatur,*  
*habiturus est nomen annus.* Conf. Sen. l. 3. de Irâ cap. 31. Apulej. Apol.  
2. ad Claudium Maximum Conf. Sidon. Apoll. l. 1. Ep. 9. Cassiodor.  
l. II. Ep. 1. l. VI. Ep. 1. l. IX. Ep. 22 Barth. l. LIIX. Adv. cap. 7. fol. 2736. Idem  
in Claudian. Conf. IV. Honorii vers. 156. pag. 107. in Stat. IV. Sylv.  
carm. I. vers. 2. pag. 253. Fornerius in Cassiodori l. VI. Ep. 1. pag. 203.  
Hinc quoque profectæ formulæ *Sine die & Consule, diem & Consu-*  
*lem*, quod in libellis accusatorum habebatur scriptum, & *cum die &*  
*Consule.* Vide sis Magnif. Dn. Doct. Ziegler. l. c. Qui mos per Consu-  
les annum numerandi quando cessaverit non adeo constat. Chro-  
nologo docent ævô felicissimi Imperatoris Justiniani, quô nata est  
Æra Dionysiana, hunc numerandi morem exspirasse.

§. XIII. Designati igitur *Consules Calendis Januariis Capi-*  
*tolium*, ut vota conciperent, remque sacram facerent, *ascendebant*  
cumque iis populus novis indutus vestibus. Mactabant itaque  
singuli *boves albos bijuges*, Jovique singulos immolabant. Respicit  
huc Ovid. l. 4. de Ponto E l. 4,

Colla *boves niveos* certæ præbere securi.

C

Et

Et Eleg. IX

At cum Tarpejas esses deductus in arces,  
Dum caderet jussu *victima* sacra tuô.

Addimus & Liv. 41. *Consules*, inquiring, *quò die Magistratum inière* immolarunt singulos Jovi boves. Conf. Hospinian. cap. IIX. de Fests. f. 55. a. Ros. l. IV. A. R. c. 5. p. 347. Lips. c. 9. de Magistr. Rom. Jan. Gvilielm. de Magistr. Rom. c. 7. Multa etiam odorem facientia in templis ac præ foribus cremabantur. Hinc Ovid. canit:

*Cernis odoratis ut luceat ignibus æther.*

Alloquebantur & Deos hunc in modum: *Dii nutu & imperio quorum nata & aucta est Res Romana, eandem placate & propitii conservate.* Vid. Hottomann. in Form. Domum denique petentes *rogam* ex Capitolio sumebant, ut Ros. l. II. c. 5. A. R. p. 140. observat.

§. XIV. *Comitia* quoque *auspicari* *Calendis Januariis* fuit moris; frequentissimus siquidem erat Senatus eò ac subsequentibus diebus, ut testatur Plin. l. II. Ep. XI. *dilata res est, inquit, in proximum Senatum, cujus ipse conspectus augustus fuit. Princeps assidebat, erat enim Consul, ad hoc Januarius mensis cum cetera, tum præcipuâ Senatorum frequentia erat celeberrimus.* Sic & quem ordinem Consul *Calendis Januariis in rogandis sententiis instituisset, eum toto anno observabat*, ceu videre est ex Svet. in Cæs. c. 21. Tac. l. III. Ann. c. 22. Conf. Phil. Caroli ad Gellii N. A. l. IV. c. 10. Qui ipse mos à Cæsare legitur transgressus ap. Svet. l. c. Cum n. Cæsar Crassum antea primùm rogasset, Pompejum deinde rogare sententiam coepit. Vid. Casaub. ac Beroald. in Svet. l. c. Georg. Vauchopius tr. de Vet. Pop. Rom. Sect. XIX.

§. XV. Nec prætereundum est, quod *Calendis Januariis Romani in Imperatoris acta juraverint*, quod, cum libertate adhuc urbs gauderet, non factum, tunc enim in Leges, nequaquam vero in acta juratum, sicut videtur Lipsio ad Tac. Ann. XVI. 22. 1. pag. 439. Primi autem, qui in Imperatorum acta jurarunt fuere Triumviri, qui & ipsi jurarunt, & alios adegerunt omnia acta Julii se rata habituros, Dio Cass. l. 47. Factum hoc A. V. C. 712. Juramentum hoc à Julio usque ad Principem ejus anni est repetitum, nisi forte ignominia infamiaque fuerint notati, ut Cajus ac Tiberius. vid. Dio. l. 47. & 60. Jurandi vero modus pro temporum ratione habetur mutatus. Primitus enim non juratum viritim, sed unò aliquò Verba præeunte, reliquis vero consenti-

sentientibus ac applaudentibus. Sub Tiberio iterum mutatus fetur hic mos; tunc enim singuli jurarunt. Dio. l. 57. Huc tendit Tac. Ann. l. 72. 2. *Apidium Merulam*, inquiens, *quia non iuraverat in acta Augusti, albo senatorio erasit Tiberius.* Non diu tamen viguit hic ipse jurandi modus. A Claudio siquidem de novo introductus, ut Dio l. 59. scribit. Abrogatus tandem est à Nerone, ut patet ex Tac. Ann. XVI. 22. 1. ubi Thraseas reprehenditur, quod solenne jusjurandum principio anni vitaverit. Confer sis quæ circa rem hanc annotarunt Lips. ad Tac. l. c. p. 439. & Magnif. Dn. D. Zigler, ad l. un. C. de oblat. vot. l. XII. Verùm non privati solùm, sed & *militēs* in castris solenne *Sacramentum* Calendis Januariis præstabant, non quidem in acta, sed nomen Consulium ac Imperatoris. Plut. in Galbâ: *Calendis Januariis milites cum eos Flaccus convocasset, ut pro more in nomen Imperatoris jurarent, statuam Galbæ aggressi dejecerunt, cumq; in S. P. Q. R. jurassent, digressi sunt.* Vide & Suet. in Galbâ cap. XVI. Imperator autem primus præstare tenebatur juramentum, subsequantur Legati, deinde Tribuni, Centuriones, postea Decuriones, mox Præfecti Castrorum, ut observat Alex. ab Alex. Gen. dier. l. I. c. 20. p. 33. Conf. Marcell. Donat. ad Suet. Galb. c. 16. p. 753.

§. XVI. *Calendæ etiam Januariæ pauperibus, ære obrutis alieno, captivis item erant liberatrices.* Omnes enim eo die pauperes investigabantur, ut in summâ rerum omnium copiâ viverent. Præscorum siquidem Lege erat sancitum, ut nemini liceret Festum publice agere, nisi omnibus prius vici sui pauperibus prospexisset. Arbitrabantur scilicet Romani Janum gratisimum esse Deum, qui exiguas impensas plenâ manu refunderet. Adeas Guevar. Horol. Princ. l. I. c. 38. f. 143. Sic & *ære obrutis*, qui carceri erant inclusi, *Calendæ Ianuariæ* erant liberatrices. Liberabantur enim è carcere, & quæ contraxerant debita, ex Ærario publico solvebantur. De *Captivis* res etiam videtur esse clara, *Calendis* siquidem *Januariis* vincti è carcere dimittebantur, sicut & omnibus diebus festis facilitatum id fuisse notat Ulpian. ad Demosth. Liv. l. 5. dicit; *Et cum amicis quoq; benignè ac comiter sermones habiti, jurgiis ac litibus temperatum, vinctis quoq; demta eo die vincula.*

§. XVII. Observandus quoque venit Romanorum mos, quo-

quo vestes preciosiores ac nitidiores Calendis Ianuariis adhibebant, quæ consuetudo nec adhuc hodie obsolevit; principio enim anni vestitu cultiore solemus incedere. Ufu autem olim erat receptum, ut civis, qui vestimento destitueretur ad cohonestandum Festum solenni, aut Urbe illo die abesset, aut domi inclusus lateret, ut docet Gvevara in Horol. Princ. l. l. c. 38. f. 143. Capitolium vero nitidiorē isto habitu vestibusque usu non attritis sacrorum causâ ascendebant, quò respexit Ovid. i. Fast. quando canit:

*Vestibus intactis Tarpejas itur in arces,*  
*Et populus festo concolor ipse suo est.*

Conf. Beroald. ad Suet. Ner. c. 50. f. 736. Sabellic. ad Svet. l. c. fol. 1218. Præprimis autē Magistratus preciosis utebantur vestimentis, ac magnificos se Calendis Ianuariis gerebant. De Purpurâ testatur Herodian. l. l. c. 16. ἀρχαὶ ἐπὶ ὤμοις τὸ τε πρῶτον τὴν ἐνδοξὸν καὶ εὐδαίμονον πορφύραν περιτέθειται, i. e. Summi Magistratus conspicuam sibi ac solennem purpuram induunt. Et Stat. IV. Silv. carm. 2. v. 21.

— hos humeros multo Sinus ambiat ostro.

Hinc Claudius Imperator taxatur ab Herodiano l. c. & Xiphilino, quòd Calendis Ianuariis pro eleganti vestitu purpurâq; Imperatoriâ processerit armatus. De Neronis vestimentis Calendis Ianuariis adhibitis tradit Suetonii Musa in eius vita c. 60. Funeratus est, inquit, impensa ducentorum millium stragulis auro intextis, quibus usus Calendis Ianuariis fuerat. Togam etiam Imperii insigne induisse Imperatores Calendis Ianuariis autor est Gvevara Hor. Princ. l. l. cap. 38. fol. 144. Atque togam hanc quotquot è captivis manu poterant attingere, liberabantur veniâ facinorosis data, & exilibus remisso exilio. Principes enim Romani nullum diem festum celebrabant, quo non singulare aliquod clementiæ aut munificentiæ specimen ederent. Laudandus inde est M. Aurelius Imperator, quòd relictâ Senatorum pompâ captivorum sese adjunxerit sodalicio, qui vestem ejus tetigerunt, & libertatem sunt adepti.

§. XVIII.

§. XVIII. Adhuc aliquid differendum est de *latitia*, cui *Januariis Calendis* veteres nimium quantum indulgere. Affirmat id Prud. l.I. contra Symm.

— Jano etiam celebri de mense litatur  
Auspiciis epulisq; sacris, quas inveterato  
Heu miseri sub honore agitant, & *gaudia* ducunt  
*Festa Calendarum.*

Habebant enim sibi persuasum, si hoc die in voluptate ac lætitiâ viverent, totum annum se sic transacturos. *Calendis* autem *Januariis* forum splendidè exornatum, auroq; indumentis preciosis, calceis, & ejus generis aliis vestitum videbatur, erant lucernæ in foro accensæ, domusq; fores fertis coronatæ, ut tradit Chrysoft. in Serm. de *Calend. Januar. T.V. Oper. f. 939. & 941.* Non parum etiam lætitiâ publicam augebant, ac vehementiorem reddebant *Comædiæ* ac *ludi* in Palatio habiti, de quibus Julian. in Misop. cit. Lipsio ad Tac. Ann. IV. 70. pag. 225. Verba autem in Græco ipsius labio ita jacent: *εἶρω τῶν θεάτρων ἐμαυτὸν ὑπὸ ἀβελτηρίας, ἔδ' εἶσω τῆς αὐλῆς ὡδραδεχομαι τὴν θυμέλην, ἔξω τῆς νεμηνίας ἔ'ετ'ης.* *Choreas* etiam per urbem ducebant, viri muliebri veste induebantur, & mulieres veste virô conveniente. De *militibus* scribit Asterius Homil. in Fest. Calendar. f. 832. edit. Lugdun. *Tunicas*, inquit, *ad talos demittunt*, *Zonam pectori circumvolvunt*, *calceamenta muliebria sumunt*, *more foeminarum Crobylum capiti imponunt*, *cum lanâ colum circumferunt*, *dextraq; filum ducunt*, *spiritumq; & vocem in acutiorem ac muliebrem sonum extenuant.* Sic & *Comicas* ac *Tragicas* personas repræsentabant, formas monstrosas induebant. Alii pelles pecudû, alii capita bestiarum. *Rustici* etiam eo die *abstinere publico*, *plateas*, *vicosq;* *urbis fugere* cogebantur; Si enim qui *deprehendebantur*, *verberabantur*, *injuriâ à temulentis afficiebantur amissis iis, quæ in manibus habebant*, ut loquitur Asterius l. c. Nec omittendum, quòd *Calendis Januariis* genialiter vixerint veteres. Iis siquidem mensas plurimis varii generis epulis refertas instruebant existimantes per totum annum sibi talem ciborum fore abundantiam. Jul. Capitol. in Pertinace: *Eo die etiam ad convivium Magistratus ac proceres Senatus rogavit, quam consuetudinem Commodus intermiserat.* Vid. August. Ep. 64. ad Aurelian. T. 2. Op. f. 315. ed. Basil. Assumebant & pocula, eaq; vino merô repleta exhauriebant. Illustris hæc de re locus occurrit apud Chrysoft. in Serm.



de Cal. Januar. T. V. Oper. f. 939. *Cum primâ, inquit, luce viri fœminæq; pocula implent, ac vinum merum hauriunt.* Declarandæ etiam lætitiæ causâ crebras ante fores pyras accendebant, multosq; super ædes lychnos ponebant. Vide fœs, quæ circa hanc rem observavit Grevara in Hor. Princ. l. I. c. 38. f. 143. Hospin. de Fest. f. 31. 6.

## CAPUT II.

*Strenarum Etymon, Synonymia, Definitio, Origo, ac Antiquitas. Polydorus Virgilius reprehensus. Carica, Caryotides, mella strenarum nomine mittebantur. Aurea etiam & argentea munera missa. Stipes. Quinam dederint strenas? Consulibus strenæ data. Imperatores strenas accipiebant. Imperatores emendicârunt strenas. Imperatores amicis dabant strenas. Reddebant pares aut majores. De Ferdinando Siciliae Rege. Strenarum commercium an interdictum à Tiberio? Prohibuerunt usum strenarum Ecclesiasticæ Constitutiones.*

### §. I.

**Q**Vum proximè præcedente capite præcipuas solennitates *Calendis* Januariis fieri solitas rudi, quod dicitur, penicillo delineaverimus, flagitat nunc ordo, ut de *Strenis*, quæ *Calendis Januariis* offerebantur, hoc capite quædam tractemus. Maximè solennes autem *Calendas Januarias Strenis* extitisse dedicandis unô omnes ore fatentur. Quæ enim vota corde concipiebant, quæ bona verba ore proferebant, muneribus volebant obsignare. Docet id nos Symm. l. X. Ep. 27. *Calendas, inquit, anni auspices, quibus mensium recursus aperitur, impertiendis strenis dicavit Antiquitas.* Primô autem locô de *Strenarum* Etymo agere nobis est prolubio. Quod igitur vocabulum *Strenæ* attinet, variam varii assignant Etymologiam. Sunt enim, qui dictam volunt *Strenam* quasi *Trenam* à numero, quo significatur alterum tertiumque futurum similis commodi præpositâ literâ S, ut Sext. Pompej. l. XVII. statuit, cui assentiunt Salig. in not. ad eund. it. in Poët. l. III. c. 24. pag. 254. Beroald. in Suet. Aug. c. 57. f. 255. Alii à *Strenuitate* deducunt *Strenam*, ut Non. Marcell. l. I. n. 55. Symm. l. X. Ep. 35. Barth. Adv. l. LIII. c. 12. f. 2502. Quibusdam à *Strenia* vel *Strenuâ* dea derivare placet *Strenam*. Atque hæc Etymologia arridet August. l. IV.



l. IV. de C. D. c. 16. itemque Symmacho l. X. Ep. 35. Nonnulli à *στῆν* *Strenis* e. *deliciis Strenarum* vocem descendere existimant. Martinius denique in Lexicō suo Etymol. sub voce *Strena* à Græco *στερεῖν* firmare deducit *Strenam*, eò quod *strenis* firmarent favores & amicitias. Verùm ex hisce recensitis quæ sit amplectenda Etymologia, prolixi hîc non erimus. Quid interim de una vel alterâ sit habendum derivatiōne, potest videri apud Marcell. Donat. in Suet. Tib. 34. p. 577. itemque ap. Phil. Horstium, Prof. quondam Jenensem in Schediasm. de *Strenis* votisq; Januariis.

§. II. Etymologiam excipit *Strenarum* Synonymia. Ulpianus vocat eas *ἑπινομιδα* distributionem, quam ob causam à Cynico graviter increpatus legitur ap. Athen. lib. 3. Dipnos. cap. 10. Dio *ἀεχίριον* eas appellat. Aliis *ἐναχισμός* & *θαλλός* audiunt. Conf. Casaub. ad Suet. Tib. 34. f. 144. a. Martin. Lex. Etymol. in voce *Strenæ*. Quibusdam etiam *Strenæ Xeniorum* veniunt nomine. Verùm an rectè *Strena* ac *Xenium* pro Synonymis habeantur, meritò dubitamus. Contrarium enim, quæ evincant, plurima sunt. *Xenia* siquidem *ἀπὸ τῶν ξενῶν* dicebantur, quia veteres hospitibus munera offerebant. *Xenia* etiam pro minervali Advocatorum seu supernumerariò munere accipiuntur, ut tradit Plin. l. V. Ep. 14. Adeat, cui plura hâc de re legere lubet, prolixè differentem Dempster. in Paral. ad Ros. A. R. l. c. 13. pag. 39. Nec non *Apophoreta* vocabantur *Strenæ*; Sed malè duo hæc confunduntur. Munera enim diebus Saturnalibus remissa dicebântur *Apophoreta*, de quibus vide sis J. Lips. Saturn. c. 16. l. 1. Domit. Calderin. ad Martialem. Germanis nostris *Strenæ* audiunt, das *Neue Jahr*.

§. III. Subjungenda & est *Strenarum* definitio. Sunt autem *Strenæ*, describente Festo l. 17. *munuscula, quæ dantur die religioso omnis boni gratiâ*.

§. IV. Satis de voce, ad *Strenarum* originem earumque Antiquitatem nunc progredimur. *Strenarum* autem usus non heri aut nudius tertius, vel etiam Patrum nostrorum memoriâ cœpit, sed tam antiquus, ut eruditi inter se non conveniant. Usus itaque *Strenarum* ab initio statim Urbis conditæ autore Tatio Rege, qui primum Romuli hostis, dein Collega, obtinuisse asserimus nixi autoritate Symmachi, qui l. X. Ep. 35. inquit: *Ab exortu pene urbis Martiæ strenarum*

*narum usus adolevit autore Tatius Rege. Cum Symmacho hâc in parte  
facit Metellus Monachus Germanus carm. V. Quirinal. cit. Barthio  
l. 53. Adv. c. 12. f. 2502.*

Urbi quas Latii tùm juveni dedit  
Rex Titus Tatius prior,  
Festas accipiens paupere munere  
Verbenas studiô patrum  
Sollers posteritas quas creat aureas,  
Servant dona tamen notam  
A luco veteri nomen strenuâ.

Conf. Turneb. Adv. l. X. c. 26. p. 201. Hospin. c. VIII. de Orig. Fest. f. 56. a.  
Ovidio equidê l. 1. Fast. itemq; Macrobio l. 1. Saturn. c. 7. altius *strenarum*  
*rum* originem atque Antiquitatem repetere arridet. *Strenarum* e-  
nim usum temporibus Saturni ac Jani atque adeò seculis ante Ta-  
tium tredecim viguisse tradunt. Observandum verò Ovidium ac Ma-  
crobium pro probandâ *Strenarum* Antiquitate minus rectè adduci;  
siquidem ii respexêre potius ad munera, quæ diebus Saturnalibus ab  
amicis invicem mittebantur ac remittebantur, quæ etiam *Strena-*  
*rum* nomine latissimâ tamen significatione sunt comprehensa. Po-  
lydorus Virgilius l. V. de Invent. Ret. cap. 2. in investigandâ *Strena-*  
*rum* origine ad Imperatorum tempora recurrit. Usum enim dan-  
di strenam ab Imperatorum consuetudine promanâsse ait, quâ  
nummos aureos vel argenteos in populum, quò sic futuræ liberali-  
tatis signum ab initâ statim dignitate appareat, spargebant. Atque  
hanc suam sententiam confirmaturus urget locum ex Suet. Aug. c. 57.  
sed parùm feliciter. Ita autem inquit Svet. *Omnes ordines in lacum  
Curtii quotannis ex voto pro salute ejus stipem jaciebant*, item *Ca-  
lendis Januariis strenam in Capitolio etiam absenti*. Verùm quàm  
imperitè ac turpiter in Romanam Historiam impingat Polydorus,  
quivis, qui mediocri saltem studio Antiquitatem perlustravit, intel-  
ligit. Qui mos enim à Tatii usque ætate per septem ferè secula erat  
frequentatus, ille sanè ab Imperatoribus non demùm cœpit, qui po-  
tius conservarunt, & ad nostra usque tempora traduxerunt. Nec au-  
toritas Suetonii adducta, quam tamen sibi favere frustra persuasit  
Polydorus, huic patrocinator sententiæ. Allegatus siquidem locus  
id solùm probat, quod scilicet consuetudo dandi Imperatori *strenas*  
Augu-

Augusti temporibus sit introductus; nequaquam verò ex hoc loco potest elici, ac si strenarum usus ante secula septem non fuerit receptus.

§. V. De origine *Strenarum* dictum est, ad ritum ipsum stylus nunc se convertit. Dum autem sibi invicem *Strenas* offerebant, prolem ominantes numerosam & fruges copiosas Veneriac Cereri sacra facere solebant, quæ Vercola ac Cericola vocabantur, quasi dicerent, Venerem volo, Cererem colo, ut observat Marcell. Donat. ad Suet. Tib. 34. f. 578. Qualia autem fuerint *munera*, quæ primis ac subsequens temporibus sibi invicem mittebant Romani, paucis videbimus. Primis itaque temporibus, cum dira habendi cupidus animos civium nondum occupasset, mittebant *caricas*, *caryotides* (palmarum poma) & *mella*, ut *dulces anni à dulcibus rebus* auspiciarentur, essentque in omen futuræ suavitatis ineuntis anni. Respicit ad hunc morem Ovid. 1. Fast.

Quid vult *palma* sibi rugosaque *carica* dixi,  
Et data sub niveo condita *mella* cado.  
Omen, ait, causa est, ut res sapor ille sequatur,  
Et pergat cœptum dulcis ut annus iter.

Audiendus & Martial. l. VIII. Epigr. 33. quando canit:

Hoc linitur sputo Jani *Caryota* Calendis,  
Quam fert cum parvo sordidus asse cliens.

Dicebantur verò hæc munera *dulciaria*, ut notat Hospin. cap. 8. de Orig. Fest. f. 55. b. Atque hæc progressu temporis à *pauperibus* solum offerebantur, licet etiam *inanrata*. Quò sensu Martial. l. 13. Epigr. 27. scribit:

Aurea porrigitur Jani *Caryota* Calendis,  
Sed tamen hoc munus *pauperis* esse solet.

Adeò verò invaluit *Strenarum* usus apud Romanos, ut, cum antea *Caricas* ac *mella* miserint, crescente Romani Imperii potentiâ & luxuriâ ditiores *aurea* & *argentea* munera, *nummos* scilicet, *annulos*, *patellas aureas* vel tamen auro obductas relictis *dulciariis pauperibus*, mitterent. Aster. Homil. in Fest. Calend. f. 832. edit. Lugdun. *Circumfertur magna auri copia sine specioso vel justo donationis titulo*. De nummis res nota est; mittebant enim *stipem*, quæ nummus erat

D

signa-

ignatus. Quo sensu accipitur à Sueton. in Calig. c. 42. ad captandas  
*stipes*, i. e. *nummos*. Ovid. i. Fast. *stipem* interpretatur aurea & argen-  
tea munera :

Tu tamen auspiciam si sit *stipis* utile, quæris  
Curq; juvent nostras æra vetusta manus,  
Æra dabant olim, melius nunc omen in auro est,  
Victaq; concessit prisca moneta novæ.

De *Nummis* testatur etiam Herodian. libr. I. cap. 16. ita scribens:  
*νομισμάτων δὲ αἰτιόσεις καὶ κοινωνία τῆς γῆς καὶ θαλάσσης καλῶς εὐ-  
φραίνουσι αὐτοὺς* i. e. *numismata alter alteri ceteraq; omnifariam  
munera misitant*. De *pateris & nummis* Symm. l. X. Ep. 35. ad Theo-  
dosium & Arcadium: *Sumite, inquit, defensores salutis publicæ solen-  
niter aurò ducta munuscula. Meritò vobis solennes pateras cum quinis  
solidis ut numinibus integritatis offerimus*. De *Annulis* refert Suet. in  
Ner. cap. 44. *Sporus Neroni Calendas Januarias auspicianti dono mi-  
sit anulum, cujus gemma sculptura erat Proserpine raptus*.

§. VI. Pares autem *Strenarum* exercebant commercium, ut  
de mutuo inter se affectu ac benevolentia eo melius possit constare.  
Innuat id Thom. Naogeorgus l. IV. Regni Papist. pag. 33. quando ita  
ait :

Post cæsis Jani tribuuntur dona Calendis,  
Atque etiam *Strenæ* charis mittuntur amicis,  
Conjugibusq; viri donant, gnatisque parentes,  
Et domini famulis, anni felixque precantur  
Principium.

Inferiores etiam *strenas* Calendis Januariis quondam offerebant,  
clientes scil. suis Patronis, ut hodie in Angliam mos obtinet teste  
Polyd. Virgil. l. V. de Inv. Rer. c. 2. Sic & superiores inferioribus  
exhibebant *strenas*, ut in Italiâ adhuc fieri solet, quin & hi cum ali-  
quâ importunitate *strenas* exigebant, ut narrat Asterius Homil. in  
Fest. Calend. f. 832. *Circa januas, inquit, eorum, qui tributa cogunt ac  
exigunt, pertinacius herent, donec tandem, qui intus obsidetur, tadio mo-  
lestiaque expugnatus pecuniam projiciat, quam habet & non habet.*  
*Quis alterius ad fores accedunt, nec ante vesperam ulla mali remissio.*  
Sic-

Siccô verò pede non prætereundum, quòd Consulibus ac Magistratum incuntibus *strenæ* Calendis Januariis à populò fuerint oblatae, ut strenuè rem gererent, & autoritatè felicitatemque Populi Romani & Majestatem Imperii conservarent. Exhibebant autem *lauri folia cum ischadibus*, quia laurus sanitatem conciliare ac veneno resistere credebatur.

§. VII. Ad *Imperatores* nunc facimus progressum, quibus Senatus totaque civitas *Calendis Januariis strenas* obtulit. Interdum etiam Præfectos Urbis Populi Romani nomine Imperatori *strenas* exhibuis testis este Symm. l. X. Ep. 35. Atque hic ipse mos *strenas* impertiendi Imperatori Augusti tempore est introductus, ut conjicit Dempster. Paral. ad l. i. Ros. A. R. c. 13. pag. 38, sub Tiberiò retentus, ac longis temporibus continuatus. Conf. Ros. IV. A. R. c. 5. p. 347. Magnif. Dn. D. Ziegler ad l. un. C. de vot. oblat. L. XII. De *Augusto* testatur Sveton. in ejus vitâ c. 57. itemq; Inscriptio antiqua, quam recenset Henr. Loritus Glareanus in Not. ad Svet. August. c. 91. f. 1717.

LARIBUS. PUBLICIS. SACRUM.  
IMP. CAESAR. DIVI. F. AUGUSTUS.  
PONTIFEX. MAXIMUS.  
TRIBUNIT. POTESTAT. XVIII.  
EX. STIPE. QUAM. POPULUS. EI.  
CONTULIT. K. JANUAR. ABSENTI.  
C. CALVISIO. L. PASIENO. RUFO. COSS.

De *Tiberio* affirmat Sveton. c. 34. & de *Caligulâ* idem c. 42. Consecrat Cassiod. l. VI. Ep. 7. *Calendis Januariis effatim dona largimur*. Referendus hûc est Principum Anglicorum mos, qui Regi Calendis Januariis *strenam* deferunt, ut refert Polyd. Virgil. l. V. de Inv. Rer. c. 2. Imperatores autem eò avaritiæ processerunt, ut *strenas* non acceperint solùm, sed & emendicarint. Sic de *Caligula* scribit Sveton. c. 42. *Impudentius*, inquit, C. *Cesar Caligula*, qui edixit *strenas* ineunte annò se recepturum, stetitque in vestibulo adium *Calendis Januariis* ad captandas *stipes*, quas plenis ante eum manibus & sine omnis generis turba fundebat. Trahere huc quidam volunt *Augusti* exemplum, de quò Svet. in ejus vitâ c. 91. quod ex nocturno visa *stipes* certò die emendicaverit à populo; Sed minus prosperò conatu ac successu. Hoc siquidem locò non agitur de *stipe* ea, quam *stre-*

ne nomine Calendis Januariis c. 57. conferebant. Vid. Casaub. ad Svet. l. c. f. 115. a.

§. VIII. *Imperatores* quoque *amicis* suis ac *intimis* *Calendis Januariis strenas* offerebant. Insignis hæc de re locus occurrit ap. Symm. l. X. Ep. 27. *Calendas, dicit, anni auspices, quibus mensium recessus aperitur, impertiendis strenis dicavit Antiquitas. Dd. Imperatores Theodos. & Arcad. Victores inclyti semper Augusti, hujus instituti usum munificentie festinatione prævertitis seram putantes liberalitatem, que statis temporibus admovetur.* Quin & offerentibus sibi *strenas* pares aut majores reddebant. Officium enim liberalis est Principis, non solum quadruplicata, sed & multiplicata longèque uberiora munera mittere, quàm accepit. De *Augusto* testatur Xiphilinus Dionis Epitomator l. 54. *Cives Romani adducti benevolentiam ad eum ineunte anno venerunt, argentumque omnes dederunt dispari tamen numero, ille quoque tantundem aut plus eo non modo Senatoribus, sed & reliquis omnibus reddidit.* Parili modo de *Tiberio* refert Suet. c. 34. *Consueverat quadruplam de manu reddere, verum cum toto mense interpellaretur ab iis, qui sui potestatem Festo non habuissent, ultra non reddidit.* *Ursulus Grammaticus* cum *strenas* exhibuisset Imperatori, nullas vero iterum ab eo accepisset, per *Ausonium Quæstorem* *strenas* postulavit, qui eas reddi fecit, sicut testatur Ep. 18. *Ausonii ad Ursulum Grammaticum.* *Militibus* quoque redditas fuisse *strenas* ab *Imperatore* Autor est *Sozomenus Histor. Eccl. l. IV. c. 6.* qui de *Juliano* narrat, quod *Calendis Januariis* milites remunerarit. Confer sis, quæ circa hanc materiam annotavit *Dempster. Paral. ad l. i. Ros. A. R. c. 13. pag. 38.* Atque hanc ipsam Imperatorum in dandis *strenis* consuetudinem secuti sunt *Reges Angliæ*, qui teste *Polyd. Virg. l. V. de Invent. Rer. c. 2.* singulis Principibus *strenam* offerentibus aliquid contra donant. *Silentii* quoque peplo non est involvendum *Ferdinandi Neapoleos* ac *Siciliæ Regis* factum, qui *strenas Calendis Januariis* à populo oblatas remisit: antiquis Principibus inveterato quodam jure quotannis reddi solitas, ut de eo scribit *Marcell. Donat. ad Suet. Tib. 34. p. 578.*

§. IX. *Strenarum* usum vidimus, paucula nunc dicemus, quod *strenarum* commercium iterum fuerit interdictum. *Tiberium* autem vicissitudinem dandi accipiendique *strenas* sustulisse plerique

que sibi persuadent suffulti autoritate Dionis L. LVII. qui plerumque extra urbem egisse Tiberium *Calendis Januariis*, ne strenas reciperet, recenset. Verum intelligenda hæc sunt de *abuso*, non vero de legitimò ac moderato *usu*, quem omnino admisit Tiberius, prout de eò refert Suet. c. 34. *Quotidiana oscula prohibuit edicto, item strenarum commercium, ne ultra Calendas Ianuarias exerceretur.* Quia enim mos iste in plures protendebatur dies, interdixit *Tiberius*, ne præter *Calendas Januarias* strenæ darentur acciperentur ve. Labitur itaque Dio, cumque eo alii, qui *Tiberium* absolutè recusasse *strenas* asserunt. Aliquã interim ratione textui Dionis posset consuli, si verteretur, sicut & verti debet, Tiberius postquam etiam post *Calendas Januarias* argentum ipsi obtulissent. Conf. Panciroll. l. i. Rer. de per. tit. de Donis p. 747. Dempster. paral. ad Ros. A. R. l. i. c. 13. p. 39. Marcell. Donat. ad Suet. Tib. 34. p. 577. Magnif. Dn. D. Ziegler. l. c. *Honorius* quoque edixit, ne alio die quàm *Calendis Januariis* strenæ exhiberentur, certam item summam præscripsit. Prohibuerunt deinde *strenarum* commercium Ecclesiasticæ Constitutiones. Sic Concilium Antisiodorense habitum Anno 613. decrevit, ne liceret *Calendis Januariis Vercola aut Cericola facere, vel strenas diabolicas observare.* Vocantur autem diabolicæ, non ac si mutui amoris pignora fuerint, sed si superstitionem alant, ac profanum sapiant augurium. Asterius quoque Homil. in Fest. *Calend.* f. 832. edit. Lugdun. totus est in *strenis* perstringendis. Verum licet consuetudo ista strenas dandi *Calendis Januariis* sæpius fuerit abrogata, non tamen penitus cessavit. Frequenti enim est in usu nostris temporibus strenas dare in *novi anni* principio minoribus à Superioribus eas exigentibus. Sic *infantes* à suis susceptoribus *Calendis Januariis* exigunt strenas, quæ tamen consuetudo hisce interris habetur sublata.

### CAPUT III.

*Calende Januariæ à Christianis celebratæ jejuniis, litanis ac precationibus. Alleluja eò die non canebant. Christiani gentilium more Calendas Januarias celebrarunt. Patres ac Concilia damnarunt Cal. Jan. Quare Christiani annum à Cal. Jan. inceperint? Quò tempore Festum Circumcisionis in locum Cal. Jan. successit?*

## §. I.

SEd age, adhuc aliquid *de Calendis Januariis Christianorum* nobis venit differendum. *Calendæ* enim *Januariae* in primitivâ Ecclesiâ à Christianis leguntur observatæ, ac pro die festo ab Imperatoribus Valentiniano, Theodosio & Arcadio A.C. 389. habitæ. Celebrantur eæ adhuc hodie in nostris regionibus magnâ solennitate. Supplicabant autem Deo Christiani veteres *Calendis Januariis* jejuniis, litiis ac precationibus. Indicat hoc August. in Ps. 98. f. 102. *per istos*, inquit, *dies jejunamus, quibus ut, quando ipsi letantur, nos pro illis gemamus* Vid. Rich. Montacut. Orig. Eccl. l. 1. p. 136. *Calendis* etiam *Januariis* abstinebant à letitiâ, quin & cantilenas gaudium præ se ferentes cantare non solebant. Sic ne lætitiæ Canticum *Alleluja* *Calendis Januariis* caneretur, prohibuit Synodus Toletana. Deploranda vero est ingens Christianorum quorundam sic dictorum scilicet superstitio, qui *Calendas Januarias* gentiliū more celebrarunt, ritusque Ethnicorum *Calendis Januariis* receptos non abjecerunt, sed retinuerunt diu. Quos enim in primâ hujus dissertationis Sectione recensuimus ritus ac superstitiones, eas sanctè observasse è Christianis quosdam ea, quæ sequuntur, comprobant. Auspicia capiebant gentiles *Calendis Januariis*, idem nonnulli à Christo nomen sibi tribuentes factitabant, attestantur Chrysof. Serm. de Cal. Januar. T. V. Op. f. 939. & Maximus in Serm. cui tit. Increpatio de *Calendis Januariis* f. 199. edit. Lugdun. Conviviis, ludis, Bacchanalibus indulgebant Ethnici, idem & Christiani, ut scriptum reliquit Augustin. Ep. 64. ad Aurelianum T. 2. Op. f. 315. edit. Basil. itemque Chrysof. l. c. Atque hæc Christianorum in celebrandis *Calendis Januariis* superstitio tanta sumfit incrementa, ut Alemannis ac Francis magnum inde scandalum metuerit Bonifacius Germanorum Episcopus. Quare primis ad Zachariam Papam exaratis literis eum admonet, ut mores istos prævos prohibeat. Scribit enim se vidisse annis singulis *in urbe Româ & juxta Ecclesiam S. Petri in die nocteque Calendarum Januariatum paganorum consuetudine choreas ducere per plateas, & acclamationes ritu gentiliū & cantationes sacrilegas celebrare, mensasq; illa die vel nocte dapibus onerare, & nullum de domo sua ignem vel ferramentum, vel aliquid commodi vicino suo præstare velle.*

## §. II.



§. II. Quùm igitur gentilium hanc superstitionem in Christianorum animis altas egisse radices prisca Ecclesiæ Doctores probè intelligerent, acerrimè in *Calendas Januarias* sunt invecti, istosque mores ex paganismo traductos nec correctos damnarunt. Irreperant enim in Ecclesiam ludi, Comœdiæ, auguria, & aliæ gentilium insanix. Præful Mediolanensis Ambros. Serm. 17. de Calend. Januar. T. III. Op. f. 297. ita à Calendis Januariis auditores suos dehortatur: *Quomodo potestis religiosè Epiphaniam Domini procurare, qui jam Calendas, quantum in vobis est, devotissimè celebrastis. Unde qui Calendas Januarias colit, peccat, quoniam homini mortuo divinitatis defert obsequium.* Sic & Chrysof. Serm. de Cal. Januar. T. V. Op. f. 939. *extrema* suos Antiochenos *amentia* redarguit, quod *per universum expectent annum, quicquid Calendis Januariis fuerint auspiciati.* Ille idem *impietatis atque intemperantia* suos accusat, quòd *ludos habeant, ac strenuè bibant.* Occupati quoque fuere in pessimis hisce moribus perstringendis Maximus in Serm. de Calend. Januar. f. 199. ed. Lugdun. Petrus Chrysologus Serm. 155. de Calend. Januar. f. 381. Asterius Homil. in Fest. Calendar. f. 832. Concilia quoque Calendas Januarias solenniter ac gentilium more celebrare prohibuerunt. Turonensis Synodus II. c. 16. hab. Anno 571. *ne pro Christianis habeantur, qui Calendas Januarias gentilium ritu colunt,* decrevit. Idem & Synodus Quinisexta hab. Anno 692. statuit. Nec non Papa Zacharias à Bonifaciò rogatus tale tulit decretum A. 742. *Si quis Calendas Januarias & brumam ritu paganorum colere, & aliquid novi facere propter novum annum, aut mensas cum dapibus seu epulis in domibus preparare, ac per vicos & plateas cantiones ac choros ducere presumerit, anathema sit.* Confer. Marcell: Donat. ad Tib. 34. p. 578. Magnif. Dn. D. Ziegl. l. c. Horst. de Strenis votisq; Januar.

§. III. Quæstio jam succurrit, quæ inter eruditos movetur, quare primi Christiani *annum* suum à *Calendis Januariis* non verò ab alio mense fuerint auspiciati? Hic Baronius in Martyrol. nobis respondet, factum ideo, quia *Christus his fermè diebus natus mundo tenebris affuso illuxerit.* Verum causa à Baronio assignata non est vero consona, qua ducti Christiani suum à *Calendis Januariis* incepere annum. Nam Christum hisce diebus in lucem fuisse editum, nullâ ratione evincet Baronius. Verior igitur est ratio, quam &  
nos

nos amplectimur, quæ dicit, Christianos sub Imperatoribus Ethnicis adhuc degentes Romanum seu Julianum Calendarium ut omnium optimè ordinatum, idemque anni cum gentilibus principium retinuisse, ne in civilibus à gentiliis institutis abhorre, adeoque vix ac ne vix quidem plantatam Ecclesiam turbare viderentur. Atque sic cum gentiliis Calendis per annos fere 1600. Christiani annum suum inchoarunt, donec tandem *Gregorius XIII.* Papa Anno 1582. novo Calendario introducto novum anni terminum primo 10. diebus priorem in præsentis seculo, introduxerit. Conf. *Henr. Nicolai* diss. de Natalit. Christi §. 21.

§. IV. Sed restat, ut quo tempore *Circumcisionis* Festum in locum *Calendarum Januariarum* successerit, brevissimis subjungamus lineolis. Quo verò anno vel seculo id præcise contigerit, adeo certò non constat. Pontificii à primordiò statim Ecclesiæ Christianæ *Circumcisionis Festum* fuisse celebratum existimant. Sed quàm turpiter suam hîc prodant inscitiam Pontificii nemo non videt, qui vel à limine Antiquitates Ecclesiasticas salutavit. Et enim in primis 500. annis nulla *Festi Circumcisionis* fit mentio, sed solum *Calendarum Januarii & Octavae Nativitatis*. *B. Mart. Chemnit.* in Exam. Conc. Trid. part. 4. p. 263. festa recenset primitivæ Ecclesiæ per quadringentos annos recepta, inter quæ *Circumcisionis Festum* non numeratur. Probare quidam satagunt *Festi hujus Antiquitatem* ex eo, quod *Maximi Taurinensis* Episcopi, qui floruit circa A. C. 450. Homilia sequentem habeat titulum: *Increpatio de Circumcisione Domini, sive de Calendis Januariis*. Verùm, prout nobis videtur, illa inscriptio priori loco posita à recentioribus est addita, ideoque cadit illa probatio. Recentius itaque esse *Festum*, ac post multa alia *introducendum* opinamur, cum non Patres præcisi solum parce fecere mentionem, sed & *ne Isidorus, Micrologus, Amularius*, alique, qui de Officiis omnium Festorum scriptis quid reliquere. *Ivo Carnutensis*, qui floruit circa A. C. 1090. & *Bernhardus* A. C. 1140. Sermones de Festo *Circumcisionis* habuerunt, & forsitan è primis, qui ejus mentionem injecerunt. *Anglos & Gallos* quòd còcernit, in *Conciliis Oxonensi* A. C. 1224. & *Lugdunensi* A. C. 1244. celebratis in Catalogum Festorum per totum annum est relatam. Conf. *Hospinian.*

de Orig. Fest. Christian. f. 31:

TANTUM !

EXIMIO DOMINO  
PAULO MARTINO SAGITTARIO

De  
CALENDIS JANUARIII  
PUBLICE DISPUTANTI

**F**elix auspiciū referunt, ita credo, Calende  
JANI, quas voto quisque dicare solet.

Felix auspiciū Specimen solemne Calendis  
Sacratum JANI denotet, opto, Tibi.

Omen non deerit, faustis successibus annum  
Spondeo, curriculi perficiesque sacri.

Ad sit Ter Sancti benedictio Numinis: Ejus  
Auspicio pergas sedulitate piā.

Magnific calces vestigia clara Parentis:

Hoc ipsi ex animo comprecor, hocque Tibi

f.

ABRAHAM CALOVIUS, D. P. P.  
Primar. & Circul. Elector. Sax. Superin-  
tend. Gener.

---

**R**Omani quondam Jani pia vota Calendis  
Temporis auspicio dicere sunt soliti,

DOCTE SAGITTARI, quia tu proponis easdem  
Dignus es ut dicam jam pia vota Tibi.

Auspicio sis maectus eo! Tibi Leucoris alma

Pro meritis reddat præmia digna Tuis.

Ad

Eruditissimum Dn. Sagittarium gratulab.

scribebat

ÆGIDIUS Strauch/  
SS. Th. D. P. P.

E

sa-

Sagittarii & in Polo & in Solo.

## Sonnet

oder

### Kling-Gedichte.

MEin Sagittarius, wohin sol ich ihn setzen?

Ich setz ihn wo ich will / so hat er Stell und Ort:  
Am Himmel steht sein Nahm und glänzet immerfort.  
Schau ich den Erd-Kreis an / so will er sich ergehen  
Mit Schützen / so die Pfeil auff ihn vielfältig wehen /  
Und er bleibt doch ein Schuß. Recht wohl was Schaden

Wort

Und Pfeile / die man schießt bald hier / bald aber dort?  
Sie mögen einen Held an Herzen nicht verletzen.

Mein werter Schützen-Mann / der Vater  
steht am Himmel /

Drückt Pfeil und Bogen ab auff Kirch- und Haus-ge-  
tümml:

Er aber wehret sich auff unser Sachsen-Erd' /

Und recht! drüm jeder spricht: Die Schützen sein  
es wert /

Daß sie den Himmel ziern / und unter  
Sternen stehn /

Und tapfren Helden gleich durch Städt'  
und Länder gehn!

Herrn Sagittario

Seinen vielgeert. und geliebten Hn. Better setzte  
dieses auff belieben auff / da er Academisch  
Kämpfte

M. Michael Schernak /  
Substituirter Prediger  
in Wittenberg.

Ad

Ad  
*Per Eximium, Politiss. & Doctissimum Disputat.  
Autorem, Amicum & commensalem per-  
dilectum.*

**P**Rimitias studii Jani peperere Calendæ,  
Quas Te scrutari docta Minerva jubet.  
Successus istis addat successibus anni  
Successus: reddat semina Solstitium.  
Emicat in gnato virtus celebrata Parentis:  
Æmulus huic pariat gaudia plura, precor.

E.

PRÆSE

---

**D**Egeneres animæ turpis famulive Vacunæ  
Viventes sibimet serius astra petunt:  
At mens nata polo sua per molimina Olympum  
Scandit & arte poli vertice tecta ferit.  
Cumq; SAGITTARI, grassere per ardua, tandem  
Tanges, dante DEO, quem petis ipse, scopum.

Αυτοαδειασί Ιμque  
add.

M. Augustus Pfeiffer/  
Fac. Philos. Adj.

---

**P**ulpita conscendis Cathedræ præclara Sophorum,  
Ut, tua quid valeat docta Minerva, probes.

E 2

Cona-

Conamen laudo, perges quò ceperis ausu,  
Vaticinor patriæ TE fore grande decus.  
Hoc est quodque precor calido de pectore totus,  
Cum Musis faveat semper Apollo TIBI!

GEORGIUS WILHELMUS WECKER,  
Altenb. Med. Pract. Pega-  
vienfis,

---

QVanta, SAGITTARI, TE ceperit usque voluptas  
*Philologum* assiduâ volvere scripta manu:  
Alma *Palaopolis* novit; nec me latet ipsum;  
Nunc quoque *Leucoridos lumina summa* vident.  
Dum repetis *Jani* solerti mente *Calendas*,  
Et coram doctis publica verba facis.  
Gratulor! ac Musis successus opto perennes,  
Quò citius portum commodiusque petant.

Doctissimo Dn. Autori-Resp.  
Imq. ap.

M. GOTHOFREDUS BOJZE/  
Delic. Ser. EL. SAX.  
Alumn.

---

Es heist es bey dir recht geschossen wohl getroffen.  
Herr Better Treuer Freund / weil du  
dein sehnlich hoffen  
Erlanget hast durch Ruh' / und stäten grossen Fleiß/  
Aus welchen iz entspringt der hochgeschätzte Preis/  
Dafür Apollo wird bereiten eine Krone  
Von Lorbern zugericht dir wehrten Musen Sohne.  
drum

Drum zihle ferner fort du liebes Schützen Kind/  
Auf daß man mit der Zeit dich bald gekröhnet find'  
Und freudig sagen kan/wie in der Musen Orden  
Herr Schütz mit Lob und Ruhm sey auch ein  
Meister worden.

Nun zihle/schiffe wol/D wehrter Musen Sohn/  
Damit durch deinen Fleiß erlangst den  
Zugend Lohn

Dieses wenige setzte einfältig auff seinen  
Brüderlichen Hn. Better  
GEORGIUS CHRISTOPHORUS FABRICIUS  
F. B. M.

---

Quando bifrons claudit labentem Clusius annum,  
Collectas claudi tunc quoque quisque cupit,  
Sed cur, Paule, tuam referas gazam, quia Musis  
Inservire studes? gratulor ergo Tibi,  
Bicipitem Janum docto quia sistis in orbe,  
Quem circumspectum forma fuisse docet,  
Ingenium docti laudant, nomenque celebrant,  
En! Primum specimen nob le laudis habes.  
Perge, favente Deo, studiis insistere claris,  
Unde tibi Phœbus laureaserta dabit.

*Ita*  
*Politissimo Dn. Respondenti, Fautori, Amico ac*  
*Consalino suo honoratissimo grat.*

M. PETRUS JACOBI  
Hamburg.

E 3

Wer

113

1.  
**W** Er ist dieser liebe Gast/  
Wort der zarten Musen/  
Dem du Platz gegönnet hast  
Hart an deinem Busen?  
Der sich auch darff unter stehn  
Auff den Helikon zugehn?  
Welcher deiner Söhne  
Hält sich doch so schöne?

2  
Ach es ist mein Pythias/  
Kan ich leicht gedencken/  
Den du mit dem Weißheit-Maß  
Stetes pflegts zu trencken/  
Dessen Kunst gefliessener Muth  
Stündlich stehet auff der Huth/  
Den auch die Gelehrten  
Nennen ihren Werthen.

3.  
Was von diesen Tag und Nacht  
Fleißigst sey geschehen/  
Wie ER seine Zeit verbracht/  
Können wir jetzt sehen/  
Daß vor seinen steten Fleiß  
Ihm kein Sommer-Tag zu heiß/  
Will ER jetzt beweisen/  
Da die Felder greisen.

4.  
Dieses/was er stellet dar  
Von dem ersten Jenner/  
Vnd dem ersten Tag im Jahr  
Dreissen weisse Männer/

Vnd



Und gestehen rund und frey/  
Daß es recht was rares sey/  
Alle Camöninnen  
Loben sein Beginnen.

5.  
Ja sie schreyen Freuden-voll:  
Auff den liechten Wagen  
Wirdt die Same diesen woll  
Hin zur Sonnen tragen/  
Weil er seinen Vater nach  
Klettert an das Sternen-Dach/  
Wo derselbe sizet/  
Und ganz gülden glizet.

6.  
Ich zwar wolte gerne auch  
Ihm ein Versgen bringen/  
Und nach stets beliebten Brauch  
Dis sein Werck besingen:  
Weil ich aber dis nicht kan/  
Nimbt mein Freund das wollen an/  
Biß daß meinen Willen  
Wird die That erfüllen.

7.  
Nimb in dessen dieses hin/  
Was dein Damon bringet/  
Biß sein igt gebükter Sin  
Sich was höher schwinget/  
Sagittari, nimb nur hin.  
Ich verbleibe/ der ich bin/  
Und im ganzem Leben  
Gänzlich dir ergeben

M. Arnoldus Berninck

Vic.

**U** Titur extremos currens mercator ad Indos  
Mercibus: in sylvis telo venator acuto;  
Sic Tu, docte Sagittari, dum pulpita scandis,  
Uteris ingenio citó, penniferâque sagittâ,  
Famam quæ celebrat, totum quæ pervolat  
orbem.

**BALTH. EMPERIUS**

*Lutreb. Saxo.*




✓  
00 A 6436

ULB Halle 3  
004 931 300  


KD 18







B.I.G.

Farbkarte #13



8  
 V.  
 CATIO  
 NDIS  
 RIIS,  
 ANNUENTE  
 DE  
*risfimo*  
 BAUMANNO  
 ph. Adjuncto meri-  
*suo omni observantia*  
*uendo,*  
 &vtauv examini  
 IS SAGITTARIUS,  
 ringus,  
 MAJORI,  
 O M. DC. LXVI.  
 tin.  
 RG Æ,  
 HENCKELII.

